



I. N. J.

DISPUTATIONEM MORALEM

DE

MODERAMINE

AFFECTUUM,

PRÆSIDE

CHRISTIANO Röhrenseen /

Phil. Pract. P. P. & Elect. Alum-  
norum Ephorô:

PATRONO, HOSPITE, ac STUDIORUM PRO-  
MOTORE suo sanctè devenerandô,

Placido eruditorum examini subjicit

AUT. & RESP.

CAROLUS HENRICUS Rühn /

Dresd. Misnicus.

*Ad Diem 28. Martii, Anni MDC XCIV.*

*In Auditorio Majori,*

Horis Matutinis.



WITTEBERGÆ, Prelo Goderitschiano.

1694 25 / 15

7



DISPUTATIONEM MORALEM  
I. N. 3.  
MODERAMINE  
AFFECTUM

PRÆSIDE  
CHRISTIANO  
Phil. Praef. P. R. & Elec. Alum-  
norum Episcopi  
PATRONO, HOSPITÆ ac STUDIO VIM PRO-  
MOTORE suo singl. deventando  
Piaudo studiorum examini subicit

AUT. & RESP.  
CAROLUS HENRICUS

D. Phil. Medicus  
Ab Dico 28. Martii Ann. MDC. LXXIV.  
In Auditorio Majori  
Hons Martini

WITTEBERGÆ, Pulo Goderichiano







Q. D. B. V.

## PROOEMIUM.

**Q**uemadmodum morbi, quibus caduca corpora nostra opprimi videmus, primò si non statim impetu perniciem, quam ferre nobis minitantur, pharmacorum ope avertere, irritamque facere studemus, indies magis magisque nos enervant, in obeundis muneribus hebescere & languere faciunt, aliaque plura molesta & noxia secum inferunt: ita & illæ morborum pestes, quibus animi nostri sunt expositi, exagitare illos, ac de suis sedibus deturbare consueverunt, ut, quæ recta, quæque eos deceant, neutiquam efficiant, sed è contrariò potius turpia quædam, & quæ à rectæ Rationis dictamine longius deflectunt, omni curâ omni que studiò gerant. Hinc usu receptum quoque est, ut illos, quorum mens motu, quasi morbò perturbata nullò sit, sanos; quos autem contrâ affectos esse observamus, insanos appellare non vereamur.

A 2

Cicero l. 4.  
Tuscul.  
Quest.



mô, dicente Cicerone, *sicut in corpore, sanitas esse non potest: Et qui est animus in aliquo morbo, non magis est sanus, quam id corpus, quod est in morbo.* Sicuti autem cum morbis conflictari corpora nostra sentimus, ad unicam hanc curam omnia nostra studia conferimus, quâ ratione & quibus mediis morbum, quô impliciti sumus, si eradicare penitus non datur, tamen imminuere valeamus: pari etiam modo, atque multo magis id moliri sedulo nobis incumbit, Animi cum tentamur morbis, Affectus qui nuncupantur, illis, quos extirpare nec possumus, nec debemus, frenos ut imponamus, ac ita moderemur, ne insurgentes nimium, vincant, rationisque imperium exuant, verum potius ei obediant, illam neque præcurrant, nec propter pigritiam aut ignaviam deserant: sintque tranquilli, atque omni perturbatione animi careant. Quod ut feliciter & ex sententia à quolibet peragatur, varia hinc & inde à Moralis Philosophiæ Doctoribus media exponuntur non solum, sed præcipiuntur etiam, quæ scitu jucunda, aspectu grata, usuque salutaria sunt. Scholas igitur eorum hætenus qui frequentavi, & de hac nobilissimâ sanè doctrinâ optima quæque percepi, digna mihi ea visa est, in quâ, quantum per temporis angustias licet, ingenii



7  
nii mei vires experirer. In quò verò conamine  
optatis fortuna ut respondeat, Numen divinum in  
partes voco, ut hoc institutum meum approbet,  
prosperumque eventum benignissimè conce-  
dat :

Alme Pater, cœptis annue, quæso, meis.

§. I.

**E**Xpositurus Affectuum Moderamen, & quibus modis  
id ipsum ab omnibus exerceri possit, ostensurus, ne an-  
gustè perquam & obscurè disseram, sed primò statim in-  
tuitu, de quò dicturus sim, nemini non pateat, præfari non  
nihil de Affectibus in genere animus est, ita quidem, ut di-  
sputantium more, in transitu quasi, Nomen pariter ac Defini-  
tionem Affectuum leviter attingam.

§. II. Nomen Affectus dicuntur obtinere ab *afficien-*  
*dò*, quòd animam afficiant & moveant. Aliò nomine Cice-  
ro eos insignivit; & animi perturbationes appellavit. Quod  
nimirum hominis animam in contemplandò & agendò per-  
turbent quasi, ubi autem probè tenendum, hanc denomina-  
tionem non in genere omnes Affectus respicere, sed vitiosis  
tantummodò tribui posse. Passiones, aut, quod eodem reci-  
dit, Perpeffiones Affectus quoque salutantur, quò nomine re-  
spicitur ad græcum vocabulum *πάθη*, quod verbo apud Græ-  
cos usitatissimo *πάσχω*, patior, natales debet, quo indoles na-  
turaque Affectuum exprimitur, quoniam homo affectibus  
præpeditus, rectè pati dicitur, *Sicut enim, verba sunt Horneji,*  
*Philos. Moral. lib. 2. c. 6. de Affectibus, cognitio sensus non fit sine corpore,*  
*ejusq; aliquâ immutatione, saltem spiritali, ut Physici appellant, ita*  
*nec appetitio anima sentientis esse sine corporis mutatione & passione*  
*aliquâ potest. Quicquid enim movetur, quatenus movetur, re-*

A 3

Etè



Etè dicitur pati: At quod ullò modò afficitur àb Objecto exter-  
nò, id movetur: E. quod ullò modò afficitur àb Objectò ex-  
ternò, id patitur, & per consequens Affectus rectè passiones  
salutantur, sicuti argumentari placuit *Heereboordio Colleg. Eth.*  
*Disp. 12. de Affectibus in genere, Th. 2. p. m. 54.*

§. III. Ad Definitionem Affectuum quod attinet, variaz  
à variis Moralium Doctoribus exhibentur. Omissis in præ-  
senti placitis aliorum, hanc definiendi rationem amplector,  
cujus vestigia expressa legimus apud Viros eruditionis ac sa-  
pientiæ laude clarissimos, nempe apud jam citatum *Heereboord,*  
*l. d. nec non apud B. Rudrauffium, Instit. Moral. part. 2. c. 4. de*  
*Affectibus in genere, Th. 2. p. m. 71. & 72.* qui ita: *Affectus, dicentes,*  
*sunt motus hominis interni, orti ex appetitione mali, ad illud prose-*  
*quendum, vel fugiendum.* Quæ Definitio duo in se involvit  
conceptum contrahibilem, & contrahentem. Illum in Defini-  
tione absolvit Motus, quando Affectus vocantur motus, non  
quidem primi, aut tertii generis, sed secundi. Notum enim  
est in quocunq̃ue Affectu triplicem reperiri motum, unum,  
qui obtingit facultati cognoscenti ab Objecto; alterum, qui  
accidit facultati appetenti à facultate cognoscente; tertium  
denique, qui toti animali à facultate appetente, tribuitur. In-  
ternus motus ille audit, quia Affectus à facultate appetente  
non recedunt, sed semper in illà manent, & animal, aut homi-  
nem potius internè in corde movent atq̃ue agitant, ut sub rati-  
one boni Objectum aliquod appetat, sub ratione mali verò  
aversetur, quæ interna motio & affectio est, quam Affectum  
vocamus. Affectus verò quandò hominem internè movere  
hïc dico, prorsus non inficior, internam hanc motionem, sequi  
nonnunquam externam & insensus incurrentem, & quidem hoc  
frequentius, quò impetuosior affectus est. Conceptus contra-  
hentis loco in præsentis Affectuum Definitione posita inveni-  
mus Subjectum, & Causas, Efficientem nimirum atq̃ue Finale,  
de quibus speciatim breviter nunc agendum venit.

§. IV. *Subjectum* Affectuum totale & *principium* Quod dico Homi-  
nem: nusquam enim Affectus nascuntur, nisi, ubi & suo modo  
rati-



rationi locus est. Atque ne quis me accuset criminis, quasi cum hac assertione meâ receptâ eorum sententiâ adversârer, qui Affectuum totale Subjectum animal faciunt, & per conceptum animalis hominem non solum, sed bruta insimul intelligunt; potiusvè Stoicos illis præferrem, qui hominem tantum Affectuum capacem esse, somniarunt, bestias verò, cum opinari non possint, nec affectus participare, existimârunt: repono, quòd mihi, Stoicorum huic opinioni erroneâ, ut patrociner, nemo sanè persuadere possit, sed eam è contrariò tantquam falsam & à veritatis semitâ deflectentem, damno, priori vero saniori sententiâ assentior, & bestias esse, quibus æquè ac hominibus affectus competant, liquidò affirmo; id ipsum quoque teste non solum experientiâ, sed & firmissimis & sanctissimis Virorum optimorum testimoniis probare, si præsentis instituti foret, nullus dubitarem. Ratio autem, quare hominem imprimis Affectuum Subjectum denominaverim, hæc est, quia hic philosophari cœpi de Affectibus humanis, non brutis. Duplices enim Affectus constituunt Ethici, alios, qui in animâ sensitiva tantum ac purè inveniuntur, & à cognitione sensuali excitantur, & hi Affectus cadunt in bruta, quæ prædita tantum sunt cognitione sensitivâ, & dicuntur Affectus puri: alios, quos mixtos appellant, quorum anima sensitiva particeps quidem est, sed non purè, nec absolutè, verum quatenus illa rationis imperio subjacet. Et tales Affectus sunt, quos homini tribuo, & de quibus sermo mihi est, quando Hominem Affectuum totale Subjectum appellito.

§. V. A Subjecto pergo ad causas Affectuum externas, Efficientem nimirum atque Finalem. Efficiens, uti notum, duplex est, Principalis alia, alia minus principalis seu instrumentalis. Prior rursus dispesci solet in remotam, & proximam causam. Per remotam intelligo facultatem cognoscentem, Sensus tam externos quam internos complectentem, abs quâ appetitio & aversatio, omnesque Affectus pendent: nam ubi non datur cognoscendi facultas, ibi & omnes Affectus cessare necessariò præsupponitur; quandoquidem ignoti nulla cupido est. *Causam*





*causam principalem proximam* absolvit Appetitus sensitivus. Geminus enim, quantum ad praesens scire sufficit, datur Appetitus, unus *rationis*, qui voluntas audit alias, alter *sensus*: ille hominis est proprius; hic communis homini cum brutis. Maximoperè autem hinc loci inter se discrepant Autores: Num Affectuum causa principalis proxima commodè dici possit Appetitus sensitivus? His qui negativam propugnant sententiam, potiusvè rationis appetitum pro tali causa venditant, annumeramus Augustinum, Galenum, Scotum & alios, qui hanc suam opinionem variis firmare argumentis omni modò conantur, quæ si non omnia, tamen præcipua vid. ap. Wendelinum *Phil. Mor. l. 1. App. 2. de Affectibus c. 36. p. m. 336. seqq.* Sprentis horum sententiis, illis astipulor, qui causam Affectuum principalem proximam faciunt Appetitum sensitivum, inter quos eminent Aristoteles, Thomas, Scaliger, aliique plures. Quum enim inficiari nemo possit, dari Affectus, quos homo cum brutis communes habet, relinquitur sanè, quòd homini isti Affectus competant secundum illam facultatem, quæ ei cum brutis communis est, quæ nulla potest esse alia, præter appetitum sensitivum, ut cæteras rationes, quæ causam Affectuum principalem proximam Appetitum sensitivum esse, facili negotio evincerent, in præsentis brevitatis gratiâ taceam. Et hæc intellecta volumus de affectibus puris. Præter quos certum est, deprehendi quoque *in parte hominis rationali, ejusque appetitu motus quosdam, ex apprehensione bonorum malorumve, rationi sive verè, sive apparenter convenientium, excitatos, qui non minus ac aliæ ab appetitu sensitivo excitatæ passiones per virtutem sunt frenandi, & intra limites coercendi.* Vid. *Exc. Præsidis Prudent. mor. P. 4. c. 2. §. 17. p. 395. & 396.* Causa minus principalis seu instrumentalis, cujus supra quoque mentionem feci, nomen meretur, Spirituum atque humorum temperies, & pro natâ occasione intemperies etiam. In cujus rei testem produco *DN. Profess. Köhrensseei Fautorem, Patronum, Præceptorem ac Hospitem meum ætatem colendum, Loc. cit. P. 2. c. 3. §. 21. p. 82. asserentem: Affectus in homine plerumque sequuntur naturam Spirituum,*



um, per quos concitantur. Spiritus autem oriuntur ex humoribus, adeoque plerumque boni sunt, si humorum crasis est moderata: vitiosi contra, si excessus humoris minus benignè crasim vitiet. Sic (pergit) sanguinei plerumque sunt leti, amabiles, & moderati, cholericus incundi & violenti, melancholici tristes & morosi, phlegmatici timidi, &c. Quod tamen non ita capiendum est, quasi in totum animus sit subiectus corpori in Affectibus, sed experientia nos docet, huius contrarium prævalere sapius. Ac licet plerumque temperiem corporis sequantur Affectus, animus tamen corpori ejusque temperamento dominatur. Quod exemplum Socratis, à Moralium Doctoribus plerumque huic loco applicatum, sufficienter evincit, quem Physiognomus ex temperamento judicavit obtusum, malevolum, libidinosum, quam tamen naturæ inclinationem doctrinâ morum postea correxit ipse & reflexit, cupiditates fregit, libidines refrenavit, cæteras infirmitates placidas mollesque reddidit, adeo ut Oraculum ἀνδρῶν σεφωτάτων illum nominare non dubitaverit.

§. VI. *Fines* Affectuum varios Moralium Doctores numerant, quorum nonnullos percensere instituti nostri ratio postulat. Indidit initio benignissimum Numen homini Affectus, ut testimonium perhibeant, se illud esse, quod peccatis succenseat, rectè autem factis delectetur. Deinde stimulorum loco homini Affectus admovit, qui assidue eum excitent & inflamment ad Virtutum actiones, & labores quoscunque promptius peragendos. *Sine Affectibus enim languet omnis actio, & vis ac vigor animi resolvitur, inquit Seneca l. 1. de Irâ, c. 5.* Et quicquid sine affectu fit, segniter fit, remissè & cunctanter; at quod cum Affectu fit, promptè & expeditè efficitur. Hinc & Lapsius l. 3. *Manud. ad Philos. Stoic. c. 7.* docet: *Sine irâ fortitudo non erit, sine metu prudentia, sine cupidine temperantia, sine lætitiâ sensus amorque virtutis.* Quam ob causam quoque Lacedæmonii Timori, Risui & omnibus fermè Affectibus templa dicaverunt;

B

runt;





runt ; sicuti legitur apud Plutarchum in Cleomene. *Cartesium* si quærimus, in cuius gratiam homo Affectibus gaudeat, respondet ille *Parte primâ de Passionibus, p. 49. Art. 40. ut incitent & disponant animam ad volendum ea, quibus suum corpus preparat: Ita, ut sensus terroris eam ad voluntatem fugiendi incitet, audaciæ verò ad voluntatem certandi, & sic de aliis.* Fines cæteros, quos hîc inferere possem, brevitati dum studeo, lubens omitto.

§. VII. Paucis adhuc, priusquam de Moderamine Affectuum loqui instituum, notare liceat *Divisionem* illorum. Quam dum urgeo, rem arduam sanè ausuque plus quàm difficilem molior. Innumera enim propemodum sunt divisiones, in quas Affectus dispescere Philosophorum turba consuevit. Princeps Philosophorum Plato innumeros eos esse censuit. Vir ingenio penè divinò *Aristoteles 2. Eth. c. 5. p. 46.* varios affectus, certum tamen eorum numerum nusquam recenset. *Galenus Lib. de curandis Animi morbis*, sex enumerat. *Boethius de consolat. Philos.* quatuor facit, eosque his versibus includit: *Gaudia pelle, pelle Timorem, Spemque fugato, nec Dolor adsit.* Missis placitis aliorum, hunc dividendi Affectus modum arripio, quò *Thomas Aquinas* gavisus est, qui in *1. 2. quest. 23. art. 4. p. 45.* undecim ponit, sex concupiscentem, & quinque irascentem appetitum comitantes: quâ divisione *Aristotelis* vestigia legere videtur, nominibus tantum exceptis, quæ *Aquinas* perversò nonnihil more, ac *Aristoteles* fecit, inflectit. Quem etiam secuti sunt Scholastici, & plurimi Philosophorum. Ad appetitum concupiscentem nimirum referunt Amorem, Odium, Desiderium, Fugam, Gaudium, & Tristitiam. Ad irascentem verò Spem, Desperationem, Metum, Audaciam & Iram revolvunt.

§. VIII. Perlustratis hæctenus quibusdam in enodatione Moderaminis, Affectuum observatu dignissimis, nunc ut inoffensò pede ipsum aggrediar Moderamen, mediaque huic inservientia exponam, temporis ratio & ordo Thematis, quod in præsentis specimine tractare cœpi, flagitat. Quantum igitur



igitur ad vocis Moderaminis Etymologiam attinet, ea originem trahit à verbò Latinis suctò, *Moderor*; quod idem significat ac modum veì moderationem adhibere, item temperare & gubernare. Quum autem Affectibus hoc vocabulum tribuo, ac de Moderamine eorum dissero, modum ac rationem tradere molior, quâ quilibet Affectibus suis frena injicere, eos coërcere, temperare æque atque gubernare debet, ne insurgant nimium, rationemque, cui tamen, suadente *Cicerone*, Affectus obtemperare debent, de thronò dejiciant,

§. IX. Ad istud vero Affectuum Moderamen dum accedo propius, ejusque exercitium urgeo, prius rejicienda est *Stoicorum* doctrina, qui istud Moderamen, quod hîc sancire adlaboro, derident, & manifestis contumeliis verberant, potiusvè Affectus evertere & extirpare penitus, quàm moderari volunt. Propter quod assertum ipsi *Peripatetici* atrocem cum iis pugnam ineunt. Illi enim Affectus temperant, mediocritates probant, & in omni permotione naturalem volunt esse quendam modum, sicuti aliàs quoque in omnibus rebus mediocritatem optimam existimant. Hi è contrariò perturbationes istas extirpandas putant; hinc dicunt: mediocritates malorum quis laudare rectè possit? Nam quis potest, in quò libido cupiditasvè sit, non libidinosus & cupidus esse? In quò ira, non iracundus? in quò angor, non anxius? In quò timor, non timidus? Sola Virtus habet, non recipiunt animi mala temperamentum. Quâ de Affectibus dudum à Stoicis receptâ opinione ipse Romuli Nepotum disertissimus *Cicero*, Stoicorum placita sequens, se delectâsse legitur, quando *Peripateticis l. 3. Tusc. Qv.* exprobrat, inquit: *Peripateticæ mediocritatem vel perturbationum, vel morborum animi mihi non satis probant. Omne enim malum, etiam mediocre, magnum est, ac sicuti corpus, etiamsi mediocriter agrum est, sanum non est, sic, si in animò est ista mediocritas, caret sanitate.* Et rursus eòdem in loco ait: *His perturbationibus, quas in vitâ hominum stultitia quasdam immittit furias, atque incitat, omnibus viribus atque opibus repugnandum est, si volumus hoc, quod datum est, vitæ tranquille placideque traducere.*



§. X. Varias igitur hinc & inde Peripatecici æque ac Stoici, suam ut quivis firmet sententiam, in medium proferrunt rationes, quas omnes & singulas ordine ut recenseream, chartæ angustia non capit. Ne tamen officio meo profus defuisse audiam, Peripateticorum vestigia persequi cupiens, Stoicos eorumque doctrinam damno, rationesque eorum tres primarias tantum, quas è plurimis seligo, pro ingenii mei tenuitate destruere laboro. Primum, quod opponunt, Argumentum dirigunt contra ipsum terminum Moderamen, & sic inferunt: Si mali sunt Affectus etiam modici, certè malum erunt modicum. At omne malum, sive magnum, sive modicum sit, vitandum est, & per consequens falsa existit ista mediocritas atque inutilis, eodemque loco habenda est, quò, si quis diceret, modicè insaniendum, modicè ægrotandum. Alterum ratiocinium, quò palmam Peripateticis præripere frustra profus conantur Stoici, ita nectunt: Si Affectibus des locum, quàmvis exigui sint, in majus excedunt. Probationis loco *Senecam* allegant, qui *Ep. 89.* inquit: *Perniciosa nunquam servare modum.* Tertià vice sic argumentantur: Sapientem quies & tranquillitas sequitur, Affectus autem maris semper æstuantis & frementis instar se habent: quapropter moderandi non solum, sed penitus tollendi Affectus sunt.

§. XI. Hæc Stoicorum lemmata, quibus Affectus extirpandos esse probare satagunt, dijudicanda nunc veniunt, num firmò, quod dicitur, talò sistant, nec ne. Quod ad primum pertinet, nego in totum Propositionem Majorem, tanquam à veritatis tramite aberrantem. Hæc enim, quam inferunt, sequela spurix nomen meretur: Omne malum, seu magnum, seu modicum sit, est fugiendum. Procedere quidem hanc Majorem dico de malo morali, minimè tamen de malò in universum. Sic vulnerari in bellò, & occumbere, est malum, sed ideò non fugiendum, quia est actus fortitudinis. Deinde Minoris Propositionis probationem nobis debent, quando dicunt, Affectus modicos malum esse. Hanc sequenti Profyllogismo probari posse, autumant: Quodcunque tran-

quilli-



quillitati mentis est adversum, illud est moraliter malum. Atqui Affectus &c. Ergò. Sed ad istud ratiocinium, quò, Affectus etiam modicos malum esse, planum facere enituntur, respondeo, inficiando rursus Sumptionem minorem. Semper enim à saniorum Philosophorum consuetudine atque concessis abhorrui, & imposterum quoque abhorrebit, Affectus, quatenus sunt Affectus, tranquillitati mentis adversari, licet diffidendum non sit, Affectus immoderatos mala interdum majora, interdum minora esse, quæ semper fugienda; minime tamen Affectus, qui naturales & moderati, hujuscemodi malum arbitrandi sunt. Reliquas probationes, quibus Stoici malitiam Affectuum evincere laborant, quum Laconicà brevitate procedere decreverim, hinc non apporto: ii, quibus accuratiori industriâ investigare illas cordi est, adeant Exercit. Philosoph. *Henrici Uffelmanni, de Platonis, Aristotelis, Stoicorum, & Epicuri Philosophiâ Morum.* Converter potius ad alterum Argumentum, in quò prorsus Subsumptum, tanquam non satis firmum, rejicio. Vocabulum enim Affectus pervertunt Stoici, & non, sicuti loquendi usus postulat, capiunt, sed de Affectibus quando sermocinari instituunt, *ἀταξίαν* Affectuum tantum urgent, illosque solummodo Affectus intelligunt, qui rationem audire recusant, & sic facile iis concedere possum, quòd vitiosi Affectus, quibus moderamen nondum contigit, id faciant: hi enim soli modum semper excedunt; verum istud de Affectibus moderatis affirmare nemo sanè poterit, quòd hi mediocritatis limites non excedant, sed prout iis quis utitur, vel modici, vel immodici fiant. Si tertium, quòd adhuc superest, ratiocinium, ad examen revocatur, nullum de eò aliud iudicium ferre possum, quàm quòd parum firmamenti, parumque virium habeat, & nullà re magis, quàm pondere vacet, primaque aquè ac altera Præmissa infringatur. Nam talem Sapientem, qualem Stoici somniant, & Subjecti locò in Majore collocant, nec Sol unquam asperxit, ideoque tanquam ens rationis ratiocinantis eum respuo, & pro nihilò puto. *Non entis autem, juxta Canonem à Me-*





*aphysicis* receptum , *nulla dantur accidentia*. Si igitur ejusmodi Sapiens in rei veritate locum non invenit, quis tam temerariè quæso asserere auderet, illud ipsum, quòd talem sapientem, qui non nisi conceptibiliter datur, à tranquillitate suà dimovere queat, extirpandum prorsus, auferendumque esse. In Minore Stoici iterum minus circumspectè agunt, sed valdoperè errant, dum sibimetipsis obloquuntur, apertè aliàs atque ingenuè confitentes, sapientem posse imperturbabilem esse, teste *Cicerone, l. 1. Tuscul. Quæst.* inquit: *Zeno* (tanquam Princeps & Pater omnium Stoicorum) *omnibus hisce* (puta Affectibus) *quasi morbis voluit carere sapientem.* Et *Hieronymus l. 2. adversus Pelagianos ait, Affectibus ad perfectum, h. e. planè carere, juxta Stoicos possibile est.* Jam verò si Sapiens triumphare de Affectibus potis est, quomodò illum à quiete & tranquillitate flectere queunt hæ animi perturbationes? Sipienti quidem quietem non denego, verum eam, quæ *μετριοπαθείας*, non quæ *ἀπαθείας* est. Tandem, quando Affectus Stoici cum mari asperò & ventorum turbinibus agitatio comparant, accipiendum illud, non de omnibus, sed de immodicis saltem. Ab hæc Stoicorum à Peripateticis dissensione sanè ferià antequàm abeam, silentio non obliterandum est, moderatiorès è Stoà Philosophos non usquequaque consensisse, quum non omnes sublatos cupiant Affectus, sed illos tantum, qui rectæ rationi adversantur. Quibus imprimis annumerari debet *Seneca*, qui *Lib. de provident.* sapienter ait: *Nec dico hoc, non sentit incommoda, sed vincit: & Ep. 71. Non educo sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illò, sicut ab aliquà rupe, nullum sensum admittente, submoveo.* De quò *Senecæ* aliorumque à crassioribus Stoicis dissidio ex professò egit *Heiderus, qui vid. Philosoph. Moral. p. 392. seqq.*

§. XII. Quapropter qui, cum Stoicis rigidioribus non solum ramos amputare Passionum, sed omnes radicum fibras evellere cupit, naturam ut simul tollat, necesse est. Natura enim homini competunt, & à Deò insitæ ei sunt. Istud autem, quod à Deò insitum, expellere, impium est. *Nibilo ma*

g<sup>i</sup>



gis aboleri possunt, quàm motus cervis eripi, venenum serpentibus, lascivia pecudibus. *Lactant. l. 6. c. 13.* Hoc pronuncio potius, immoderatos animi Affectus esse corrigendos, rectæque rationis judiciò, medium si excedunt, refrenandos, & ad justam mediocritatem reducendos.

§. XIII. Quod ab omnibus debitâ adhibitâ industriâ effici posse, extra omnem dubitationis aleam positum est; quum & hoc ipsum de brutis, quæ tamen ratione, naturali que judiciò destituuntur, alienâ fieri prudentiâ, phantasiâ brutorum & memoriâ sensitivâ adminiculante, quotidiana comprobet experientia. Vid. *Wendelinus Philos. Moral. l. 1. App. 2. de Affectibus c. 36. q. 8. p. m. 351. seqq.* Nec in eò dissentit Cartesius, sed potius quemlibet ad compescendos Affectus pollentem potentemque esse, *Lib. de Passionibus Anima, Part. Imâ, art. 50, p. 64. seqq.* copiosè demonstrat, siquidem istud & in brutis observari possit, quod exemplò canis evincere studet, qui (verba ejus sunt) cum perdicem videt, naturaliter fertur, ut in eam incurrat; & cum audit sclopetum displodi, ille strepitus naturaliter eum ad fugam incitat; attamen ordinariò ita instituuntur canes venatici, ut visâ perdice subsistant, & ad displotionis strepitum, quem postea audiunt, ad eam currant. Inde concludit à minori ad majus, à bestiis ad hominem, & dicit porró: *Hæc autem scire refert, ut quisq; contendat regere suos Affectus: Nam cum haud ita magnâ industriâ mutari possint motus cerebri in animalibus ratione destitutis, evidens est, id melius in hominibus posse fieri, & eos ipsos, qui imbecilliores animos habent, posse acquirere imperium absolutissimum in omnes suas Passiones, si sat industriæ adhiberetur ad eos instituendos & dirigendos.* Hæc Cartesius. Unde innotescit, quod omninò humanæ vires sufficere valeant ad regendos Affectus. Tametsi enim Affectus suâ vehementiâ mirificè turbent mentem hominis, ejusq; libertatem, haud quaquam tamen eidem omnem adimere possunt, & si quandoq; hoc contingit, nostrâ plerumq; sit culpâ: quemadmodum elegantissimè prudentissimèq; disserit. *Excellent. DN. Prof. Röhrerseei in Dictatis ad Libros duos Pufendorffii, de Officiò Hominis & Civis, juxta Legem Naturalem, ad §. 14. Cap. 1. Lib. 1. de Actione Humanâ.*

§. XIV.





§. XIV. Sed ex diverticulô veniendum nunc est ad Media, Moderamini Affectuum solennia, quæ variè Moralium Doctores præscribunt: alia, quæ ad Affectus generatim usurpanda; alia, quæ adversus cujuslibet Affectus exorbitantiam speciatim adhibenda sint. Præsenti instituto ut satisfiat, de remediis primùm, Affectus generatim sumptos cohibere valentibus, loquar, subjuncturus postea breviter, & quantum nimia chartæ angustia tolerare videbitur, media nonnulla, quæ uni alterivè in specie Affectui, quantum ad eorundem moderamen pertinere arbitrabor, optimè consulere poterunt.

§. XV. Moderamini Affectuum in genere tanquam salutiferum remedium primò inservire potest Numinis divini imploratio. De quò eleganter *Epietetus*: *Memineris, inquit, Dei, illum invoca auxiliatorem, ut nautæ solent, cum in tempestatibus invocant Castorem & Pollucem. Nam quæ periculosior potest existere tempestas, quàm quæ existit è vehementer impellentibus nos visis, ac sanam rationem profligantibus? Ipsa enim tempestas, quid aliud est, quàm Phantasia? Hoc præcepto salutari instruxit Christus suos discipulos, Matth. 6. inquit: *Vigilate & orate, ne introëatis in tentationem.* Hæc divini nominis invocatio firma illa anchora erat, quâ gentium in fide Magister, Paulus, contra insultus Diaboli suffulciebatur, & per quam victoriam reportabat, quemadmodum ipse fatetur, 2. Cor. 12. v. 7. 8. *Datus, clamitans, est mihi stimulus infixus carni, nempe Angelus Satanae, ut me colaphis cadat, ne supra modum efferar: super hoc ter rogavi Dominum, ut abscederet à me.**

§. XVI. Huic igitur remedio subjungo aliud, nimirum illud Poëtæ consilium; *Principiis obsta, serò medicina paratur.* *Ovidius lib. de Remediis Amoris, v. 91.* In primo statim fervore, à conamine tales animi imbecillitates deterrendæ sunt, quoniam proderit, loquente *Senecâ l. 3. de Irâ, c. 10. morbum suum nosse, & vires ejus, antequam exspatientur, opprimere.* *Crebræ enim & frequentate actiones in habitus erumpere plerumque solent, illas igitur si vitaveris, ab hisce tutus eris.* Non, aliò locò ille ait, *obtimebis, ut desinat Affectus, si incipere permiseris.* Facilius est initia illorum, quàm



quàm impetum regere. Vehementius contra inveterata pug-  
nandum est. Primis igitur finibus hostis arcendus est. Nam  
*quùm intravit, & portis se intulit, modum à captivis non accipit*, ut  
iterum *Seneca* loqui amat, *l. i. de Ira, c. 8.* Ejusmodi plura, & sapi-  
enter dicta, & lectu digna, *Senecæ*, aliorumq; , hòc de remedio  
prolata, hìc allegare haberem, nì breviter summatimque,  
quodlibet remediorum percurrendum, & ad reliqua progre-  
diendum foret.

§. XVII. Efficacissimum quoque remedium ad retinendam  
passionum licentiam salutatur, si Deum ubique presentem,  
omniaque cernentem & judicantem quisque animo secum  
volutat, monentique rectè & præclare *Basilio*, *Reg. 127.* vaci-  
vas aures præbet, qui ait: *Si hominis presentia eò usq; valet, ut,*  
*qui in equali naturæ conditione constitutus sit, propter dignitatis ta-*  
*men excellentiam turbatum alicujus animi motum possit comprimere,*  
*quò non tandem facilius hoc futurum existimandum est, si alicui persua-*  
*susum est, Deum cogitationes omnes suas inspicere? Siquidem longè me-*  
*lius, qui scrutatur corda & renes Deus, motiones animi pervadet,*  
*quàm homo, quæ oculis subjecta sunt.* Quò divino ferme *Basilii*  
effatò hoc contra Affectus remedium illustrat *Wendelinus*, *Phil.*  
*Mor. l. i. app. 2. de Affect. c. 36 §. 7. p. m. 375.* Deus Sol ille est, de quò *Ho-*  
*merus*, *Odyss. l. v. 101. ὅς παντ' ἐφορᾷ, καὶ παντ' ἐπαυγείηχει θεὸς ἔνδιον*  
*ὄμμα.* *Batrachomyomach. vers. 97.* Eodem medicamine uteba-  
tur *Joseph*, ad cohibendum Affectum amoris libidinosi, *Gen.*  
*39. 9.* Deum ejusque presentiam timebat, & dicebat: *Quo-*  
*modo facerem malum hoc maximum, & peccarem in Deum?*

§. XVIII. Proderit etiam Moderamini Affectuum atten-  
ta exemplorum inspectio. Utilis enim, secundum *Ciceronem*,  
est, ad persuadendum ea, quæ acciderunt, ferri & posse &  
oportere, enumeratio eorum, qui tulerunt. *Quid enim faci-*  
*endum sit, à faciente discendum est*, inquit *Seneca*, *Ep. 98.* & pulchrè  
*Epietetus*: *Ad illud quoque conduxerit, si ad præstantiam virtute exi-*  
*miâ virorum consuetudinem deflexeris, & te ad illorum exempla confor-*  
*mâris, sive superstitum adhuc, sive olim viâ functorum quempiam ha-*  
*bueris.*

C

§. XIX.



§. XIX. Fugere præterea debet, qui moderari Affectibus cupit, pravam conversationem, quoniam prava confortia corrumpunt bonos mores. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit: *Recede*, ait *Seneca*, Ep. 7. *in te ipsum, quantum potes, cum his versare, qui te meliorem facturi sunt; illos admitte, quos tu potes facere meliores.* Quare, quantum potest, quivis moderaminis Affectuum studiosus, à lubricò illò malorum hominum commerciò recedere, & cum iis è contrariò se confociare debet, qui probitatem & ingenuitatem præ se ferunt, qui integros se castosque servârint, quibusvè nec minima cum impuris fuerit contagio: horum studia, horumque ut imitetur virtutem, opus est. Nam quemadmodum feræ familiari cum hominibus consuetudine cicurantur; pariter & homines, pravis Affectibus efferati, proborum consortio mitescunt.

§. XX. Qui refrenare Affectus conatur, ab eò requiritur porrò, ut aures, oculos, cogitationesvè avertat, ne audiat, aut intueatur, aut mente concipiat, quæ excitare Affectus, ansamque eorum illecebris obtemperandi subministrare queant. *Cogitationes verò, dicente Wendelinò, l. c. p. 373. præverti non possunt, nisi sensus externi coërceantur, & ab incentivis & illecebris avertantur.* *Hæ enim januæ sunt, per quas in animum penetrant perturbationes.* Frustrà igitur omnis laborabit, qui cogitationes suas avocare molitur, aures nî prohibeat, ne intentionem inflectant, oculos, ne sensum mentis evertant, odorem, ne cogitationem impediatur, os ne crimen reddat, tactum, ne ignem adoleat. *Per quinque enim sensus inquit Hieronymus, l. 2. in Jovin. quasi per quasdam fenestras vitiorum ad animum introitus est.* Hinc apud nonnullos ex Stoicis, Pythagoricis, & Platonicis usu receptum fuisse legimus, ut oculos sibi effoderint, ne per eorum visum à contemplatione Philosophiæ avocarentur. De *Crate Thebanò Wendelinus l. d. refert, quòd non parvum auri pondus in mare projecit, & dixerit: abite pessum mala cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis.*

§. XXI. Quotidiana quoque sui ipsius exploratio, haup  
exi.



exiguam Moderamini Affectuum operam confert. Animus cottidiè ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc *Sextius*, ut consummatò die, quum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum; *Quod bodiè malum tuum sanasti? Cui vitio obstitisti? Quà parte melior es factus?* *Sen l. 3. de Irâ, c. 36.* Quid, eòdem locò ait, *pulchrius hâc consuetudine, excutiendi totum diem?* Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? *Quàm tranquillus, altus ac liber, quum aut laudatus est animus, aut, admonitus, & speculator sui, censorq; secretus, cognoscit de moribus suis.* Affectus non tam feri & sui juris sunt, ut non disciplinâ perdomentur.

§. XXII. Tandem adversus excessum Affectuum remedii nomen meretur, usus pharmacorum, ad humores educendos & temperandos efficacium. Superius enim §. 5. ostensum, Affectus temperamentum & humores sequi: si autem hoc, relinquatur sanè, quòd vitia, quæ humores & temperamentum comitari solent, ipsis etiam Affectibus obtingant. De quò autem remedio ut pluribus agam, mei instituti non est, sed illud ipsum ad Viros artis medendi gnaros remitto, qui, quid deceat, quidquè conveniat, eâ, quâ pollent, ingenii acie, ipsi æstiment.

§. XXIII. Plura forent Moderamini Affectuum in genere salutaria media, de quibus in præsentì agere possem, sed ne in illis exponendis justò sim prolixior, tacitus jam ea prætereo, & ad sæpius jam laudatum *Wendelinum* provoco, qui quæ fortassis hîc adhuc desiderantur, supplementò explere, idoneum, paratumque se nemini non ostendet.

§. XXIV. Media igitur, quæ hucusque circa Affectuum Moderamen enodavimus, accipienda fuerunt, uti ex supra dictis neminem latere poterit, de Affectibus in genere, nullâ habitâ ratione, cuinam in specie Affectui prodesse queant. Ubi tamen silentio premenda non est, sed magnificianda, semper diligentia, quam Doctrinæ Morum Patroni cohibendis Affectibus impenderunt. Iis enim media, quæ in genere Affectus coërceant, nondum suffecerunt, sed in specie eorum  
cui-



cuiuslibet medicamina utilissima assignarunt, quæ frenare illum, & de suis, quos secum agitat, conatibus, avocare possint. Quæ verò ut ordine nunc expendam, neque locus, neque tempus, cui inservire oportet, patitur. De munere autem, quod ad me pertinere arbitror, ne penitus desciscam, unum, aut maximè duos, declarabo Affectus, *Amorem* nempe atque *Iræ*, quorum alter *concupiscentem*, alter *irascentem appetitum* sequi solet, & quò modò quibuslibet moderari illos liceat, paucis strictimque demonstrabo.

§. XXV. Amoris itaque Affectus est, de cuius moderamine uberius nunc verba facienda sunt. Ubi in antecessum, probè inculcanda venit Amoris varia divisio. Dividunt nimirum Moralistæ illum & ratione Objecti, & ratione Finis. Juxta priorem divisionem faciunt amorem, ratione objecti & circumstantiarum, vel *honestum*, vel *turpem*. Juxta posteriorem, amor illis est vel *gratuitus*, vel *mercenarius*. Posterior Divisio, tanquam ad præsentis Disputationis scopum non pertingens, prorsus à me non attenditur, sed priorem potiùs majori cum studiò agito. Maximoperè enim ea necessaria hîc præsupponitur, ut omnes intelligere valeant, quinam ille amor sit, de quo dicere instituerim. Quùm autem juxta priorem partitionem amor rursus geminus existat, *honestus* nempe ac *turpis*, neminem fore existimo, qui persuaderi sibi patiatur, mihi, amoris moderamen ostensuro, de honestò ac licitò Amore sermonem futurum esse, sed de illò potius, qui ad impura & turpia trahit, quem Amorem melius *libidinem* dixerò. Liciti enim, puri & sancti Amoris media potius sunt quaerenda, quibus excitetur & foveatur, quàm remedia, quibus extrudatur & ejiciatur. Impurus autem, inhonestus & libidinosus amor, remediis eget; contra hanc hydram lernæam masculè decertandum est, quùm nullum vitium expugnatum adeò sit difficile, quàm impura libido.

§. XXVI. Videndum itaque est, quibus medicamentis & quibus antidotis monstri hujus virus à nobis prohibere possimus. Ea autem, exceptis iis, quæ de Affectibus in genere

re



re jam tradidi, sunt sequentia: ut nempe occasiones, quæ hunc ignem in membris nostris succendunt, evitemus: Occasionibus vero suppeditant præcipuas, Aspectus curiosiores mulierum, earum præsertim, quæ sunt formâ præ cæteris honestâ ac liberali, atque ætate integrâ. Hanc occasionum fugam ipsa S. pagina cuiusvis hominum in multis locis commendat. *Jobum* loquentem audiamus, *c. 31. vers. 1. Fœdus*, ait ille, *pepigeram cum oculis meis: & quid advertissem animum ad virginem?* Hunc sequitur *Ecclesiasticus*, qui per integrum ferme *nonum caput* hanc occasionum fugam interdicit, & *v. 3.* inquit: *Ne occurras mulieri meritoria, ne quando incidas in laqueos ejus.* *Conf. v. 4. 7. 8. & 9.* ut alia loca, quæ hûc accommodari possint, nunc taceam. Hisce occasionibus, quæ à quolibet, qui sibi ab infandò hoc portentò, libidine, cavere studet, evitari debent, annumerandi porrò sunt impudici sermones, picturarum vel imaginum impudicarum contemplatio, & librorum amatoriorum lectio. *Siquidem obscænus scriptor omnium horarum leno est.* Nusquam, dicit *Wendelinus*, *obscæni libri tutiore sunt locò, quàm cum in igne sunt.*

§. XXVII. Pharmacum, ad cohibendum amorem illicitum suffecturum, præterea est fuga otii. *Otia enim si tollas, periere Cupidinis arcus. Cedit amor rebus, res age, tutus eris.* Dina, dum otiosè divagatur à domò paternâ, stupro corrupta fuit à Shechemò. David, otio cum difflueret, domique semet à rebus bellicis contineret, amore Bathschabæ correptus fuit. *Ociosus*, dicit *Seneca*, *non sibi vivit, sed, quod turpissimum est, ventri, somno, libidini.* Hinc *Diogenes* rectè amorem *otiosorum negotium* dixit, & *Theophrastus*, *πίθος ψυχῆς χολαζῆσης* eum nominavit. In cibò etiam potuque, ad repellendum inhonestum amorem, modus tenendus est; quibus si intemperantiores fuerimus, admovemus ligna huic foco, & alimus ac nutri-  
mus nobismet grave incendium, siquidem *γαστριμάγνια* est fomes libidinis, & corpus plus æquo saginatum, ad  
libi-





libidinem animum sæpè provocat; exemplo equi nimirum saginati, qui domino & sessori nonnunquam recalcitrat. Nam si sine Cerere & Bacchò friget, sanè cum Cerere & Bacchò calebit, ardebitque Venus. Non mediocriter etiam ad Amoris immodici Moderamen proderit, considerare, id, quod in Venereâ & amatorîâ turpitudine delectat, temporaneum & exile admodum esse, si conferatur cum malis, quæ illud sequi solent, ut jactura temporis, flagitii hujus deformitas, infamia & servitus, & conscientia tormenta. Ut taceam, nil bonis ingeniis luxuriâ atque libidine magis mortiferum esse. Hæc & similia remedia quemlibet à turpi amore deducere valebunt, quæ audire consueverunt Moralia. Naturalia, quæ quoque ad Moderamen hujus Affectus haud sterilem operam afferre possent, Medicæ artis cultoribus relinquo.

§. XXVIII. Superest, ut paucis adhuc de mediis, quæ Iram refrenare valeant, disseram; ex horum multis, aliquot solummodò attulisse suffecerit. Primum, itaque, quod suadeo, remedium est, ut sapienter discernere discamus injuriam illatam, num ex levitate & imprudentiâ processerit? Si hoc, commiseratione potius, quàm irâ digna est ejusmodi injuria. *Minimis, inquit Seneca, l. 2. de Irâ, cap. 25. sordidissq; rebus non exacerbemur: nam ad ista concitari, insania est. Et aliò locò: Quid est, cur tusis alicujus, aut sternutamentum, aut musca parum curiosè fugata nos in rabiem agat, aut versus calix, aut clavis negligentis servi manibus elapsa?*

§. XXIX. Deinde tanquàm saluberrimum remedium usui esse potest concitatae Iræ, ut spatium animo cedamus, quò se colligat, & dissipatas sui partes rursus in locum suum cogat: quorsum collineare videtur *Arbenodori Stoici consilium, quod ab aula discedens Cæsari Augusto reliquit: ne quid in irâ diceret prius, aut faceret, quàm*  
ciba-



characteres Græcos prius recitaret. Et Ambrosius Theodosio autor fuit, ut ante Orationem, Dominicam enarraret, ne quid iratus perpetraret. Hinc & Legati ad Papirium, sellam circumstantes, orabant, ut rem in posterum diem differret, & iræ suæ spatium, & consilio tempus daret. Livius l. 8. c. 32. Jure quoque laudem meretur illud Archyca, qui cum villico factus esset iratior; Quomodo te, inquit, accepissem, nisi iratus essem. Cicero l. 4. Tusc. Qu. Et istud Socratis ad servum: Caderem te, nisi irascerer. Idem ille, cum adolescens quidam ferox calce eum peteret, & amici sui illum ad ultionem instigarent, iræ locum non concessit, sed respondit illis: Quid? An si me asinus calce petisset, jusuri eratis, ut contra calcem ei impingerem?

§. XXX. Succurrit porrò efficax moderandæ Iræ pharmacum, in eò consistens, ut quilibet minarum iræque plenus sedulò advertat, quàm multis Ira nocuerit. Alii enim, sicuti ex Senecâ percepimus, nimio fervore ruperere venas, & sanguinem supra vires elatus clamor egressit, & luminum suffudit aciem in oculos vehementius humor egestus, & in morbos ægri inciderunt. Pythagoreos ideò potius imitetur, qui si in maledicta proruperant, ante solis occasum dextris mutuò datis gratiam redintegrârunt, πρὸν ἢ τὸν ἥλιον δῦναι, τὰς δεξιὰς ἐμβάλλοντες ἀλλήλοις καὶ ἀσπασάμενοι διελύοντο: ut Plutarchus loquitur de frat. Amore. Speculum capiat, suamque fœditatem flagitiosam, & deformitatem faciei de industriâ aspiciat, moderatè de se ipsò sentiat, existimetque, semetipsum æquè posse committere quid contemptu & vituperiò dignum: homines enim sumus; idcirco nil etiam humani, monente Terentiò, à nobis alienum esse, putare debemus. Ardentissimæ denique & devotæ ad Deum fusæ preces, præ omnibus hucusque adversus inordinatam Iræ suppeditatis mediis, nomen, famamque merentur. Cætera Medicamina quibus Affectum hunc frangendi copia



102  
JU  
pia fit, exposuerunt fufius *Plutarchus*, in *Libellò de' cohibendâ*  
*Irâ*, & *Seneca*, *tribus de Irâ Libris*, qui videantur.

§. XXXI. Ne autem L. B. in tuam humanitatem  
injuriôsâ prolixitate peccare videar, hic finem dicendi  
de *Moderamine Affectuum* facio, & ut ea, quæ pro ingenii  
capacitate de eò hæcenus differui, æ qui  
boniquè confulas, studiò à Te  
fingulari contendo.

*Soli Deo Gloria.*



HI

C






ULB Halle

3

005 361 702



VD 17





